

Samuel
quod

1161.

+ +

7. 10.) ff. de crimine lese Majestatis
- 11.) ff. de damnaliti extra matrimonium cohabitatione
- 12.) ff. de eode hominis
- 13.) ff. de incendiis vi publica et crimine falsi
- 14.) ff. de crimine repetundarum ff.
- 15.) ff. de judiciis criminali
- 16.) ff. de assessoribus judicii Co.
- 17.) ff. de procuratoribus et advocatis Jud. Crim.

Josephus



Q. D. B. P.
DISSERTATIO JURIDICA,
De
PACTO
RETROVENDITIONIS

Quam
Magnifici Jctorum Witteberg. Ordinis
consensu

PRÆSIDE
VIRO

Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo
DN. WILHELMO LYSERO,
J. U. D. & Antecessore in hâc Academia celeberrimo,
Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Assesore

gravissimo,
Patrono ac studiorum suorum Promotore
etatem colendo.

Publicæ Eruditorum examini
submittit,

JOHANN. DAVID BERRINGERUS,
Dresdens.

In Auditorio Jctorum,
Ad diem XI. Octobr. Anno M. DC. LXXI.

WITTEBERGÆ,
Literis MICHAELIS METERB



DISSELTATION
P A C T O
RETIROVENITIONIS

Magnum
VITAE
VITAE


DR WILLHELMO BYSERO
JUD & ANNO
Catholice

Primo
Pavlo
LITTE

JOHANNI DAVID BERLINGERIS
LITTE

LEON MICHAELIS
LITTE





I. N. J.

§. I.

Pacta semelq; placita firmiter servanda esse, cuiuslibet rectæ rationis inculcat dictamen, quippe quod ea ipsa fidei tanquam lapidi angulari, & societatis humanæ vinculo superstructa sint, quam datam fallere equeidem grave est; cuiq; nihil magis congruit, quam id præstari, quod inter contrahentes actum est. *L. exempto u. §. & imprimis 1. ff. de Action. empt. & vend.*

Pacta fundam-
tur inæquitate
naturali.

§. II.

Quamvis autem naturale jus ob dictum fundamentum nullam pactorum agnoscat differentiam, sed indistincte omnibus solidissimam obligationem & plenariam efficaciam tribuat; Nihilominus fatendum est, dispositioni humanæ relictum esse, ut lex civilis justas ob causas plura circa pactorum materiam, cum primis quoad effectus constituere & immutare potuerit. Pro- uti ipsemet Molina *tract. 2. d. 257. n. 1.* rigidus aliàs cum as- seclis suis juris Romani Censor, fateri hoc cogitur. Vid. ulterius Covarr. *c. quamvis pactum part. 2. §. 4. num. 6. seqq.* Dn. Hahn, *in not. ad Wesenb. tit. de prescript. verb. n. 2. & Dd. communiter.*

Quid potesta-
tis majestati
humanæ circa
hæc relictum?

A

§. III.



§. III.

Quid iura Ro-
mana in specie
circa hæc di-
spoluerint, de-
negando nem-
pe pactis nudis
effectum acti-
onis, & varias
eorum classes
constituendo?

Hinc igitur est, quod sanctiones Romanae Pacta va-
rie informârint, eorumq; multimodas classes institue-
rint. Aliud enim voluerunt esse Nudum tantum, quod
innudis scilicet & simplicibus conventionis finibus ac
terminis consisteret *L. Legem 10. Cod. de pactis.* cui scilicet
litium imminendarum gratia aliasq; ob causas, de qui-
bus videatur *Wesenb. ad tit. de pact.* jus civile seu positi-
vum non assisteret, nec actionem in foro suo largiretur,
adeoq; naturalem solum, non civilem obligationem,
nec actionem civiliter efficacem produceret, licet exce-
ptionis productio ipsi denegata non fuerit. *L. Juris gen-
tium 7. prin. §. 1. ff. de pact. L. Legem 10. L. cum proponas
21. Cod. eod. Tabor. partit. element. p. 3. s. 3. th. 37. Hahn. ad
Wesenb. tit. de pact. n. 2.* Idq; iterum fecere vel Tacitum,
v.g., si debitori cautio redditur, tacite de non petendo
pactum intelligitur *L. Labee 2. ff. de pact.* Vel Expressum
id est. Porro vel est Liberatorium, quo agitur de tollen-
da obligatione, & parit exceptionem interdum pacti, in-
terdum doli. *L. Rescriptum 10. §. plerumq; 2. L. Idem 25. §. sed
quandis 2. L. Tres fratres 35. L. si cum 16. §. sed §. 1. L. Tale pa-
ctum 40. §. Pater 3 ff. de Pact.* quoties subtilis ratio prohi-
bet dari exceptionem pacti. Vel Promissorium, quod
naturalem obligationem, aliosq; inde dependentes ef-
fectus producit *L. Stichum 95. §. naturalis 4. ff. de solut.* A-
liud constituerunt non nudum seu vestitum, cui ultra
nudos ac simplices conventionis fines ac terminos vis
aliqua civiliter ac efficaciter obligandi extrinsecus acce-
dit. *L. Legitima 6. L. Juris gentium 7. §. quin imò 5. ff. de pact.*
Atque dicitur specialiter Legitimum, quod Lege aliqua
vel edicto Prætoris est confirmatum, ut pariat actionem.

Exem-

Exempla ex jure civili strictè dicto sunt; Pactum donationis *L. si quis, 35. Cod. de donat.* Dotis *L. ad exactionem 6. Cod. de dot. promis.* Pactum de usuris civitatibus solvendis *L. Etiam 30. ff. de usur. & nonnulla alia.* De jure Prætorio; Constitutum *tot. tit. ff. & Cod. de constit. pecun.* Et Pactum hypothecæ *L. pignus. 1. prin. ff. de pignor. act. L. si tibi 17. §. de pignore 2. ff. de pact.*

§. IV.

Dantur ulterius conventiones, quæ præter consensum, quem recensitæ hætenus tantum requirunt, etiam peculiare ac proprium jure gentium nomen, vel eo deficiente causam habent. Differt præterea Pactum à Contractu, ut genus à specie, cum contractus nomen strictè sumptum illas tantummodo comprehendat conventiones, quibus inest obligatio mutua. Illud verò omnes complectitur contractus sive comprehendant, secundum Jcti verba in *L. Labeo 19. ff. de V. S. συνάλλαγμα*, sive non. Wesenb. *tit. de pact. n. 2.* Et quamvis hodie quoad effectum tam contractus, quam pactum, uti vocant, vestitum, actionem producant, diversas tamen habent essentias & naturas. Magnif. Dn. Struv. *Exerc. 6. tb. 32.* Non ea autem contractuum efficacia est, ut dominium transferatur sine traditione *L. Traditionibus 20. Cod. de pact. L. ubi autem. 75. §. hac stipulatio, ult. de V. O.* quæ fieri debet à Domino §. *Vendita 41. Inst. de R. D.* aut eo, qui loco Domini est, ut Procuratore §. *quæ ratione 43. Inst. eod.* animoque transferendi dominium, ita, ut non erret *L. si Procurator 35. ff. de acquir. rer. dom. & intercedat causa ad transferendum dominium habilis L. nunquam 31. de acquir. rerum Domin. §. per traditionem 40. Inst. de R. D.*

Transitio ad contractus, utpote qui in foro civili actionem producant.

Non tamen Dominium transferunt sine traditione.

Contractuum
divisio, eorum
que species.

Sigillatim de
consensualibus.

§. V.
Hi verò contractus in varias abeunt classes. Sunt enim alii vel bonæ fidei, in quibus obligatur alter alteri in omne id, quod ex æquo & bono præstandum, etsi de eo expresse non convenerit; Vel stricti juris, qui illud tantum exigunt, quòd inter partes actum est. Alii vel ultrocitroque obligatorii, qui statim ab initio & per se utrumque contrahentium ad quid præstandum vel faciendum certa actione obstringunt, & in quibus præstatio contractum jam præfectum, tanquam effectus sequitur. Vel ex una tantum parte obligationem inducentes, uti sunt mutuum, stipulatio. Alii vel veri seu proprii, in quibus utriusque contrahentium consensus verè & ab initio interponitur. Vel improprii seu quasi contractus, in quibus consensus mutuus interpositus non est, sed ex Legis præsumptione pro interposito habetur. Illi vel sunt innominati vel nominati, qui præter causam certam etiam definitam naturam, adeoque certum & speciale nomen à jure inditum habent. Ac quadruplicis differentiæ existunt, quippe quod Re contrahantur, aut Verbis, aut Literis, aut consensu §. *sequens ult. Inst. de oblig. Reales sunt, ubi datio aliqua seu factum ad consensum accedens obligationem inducit L. sicut. 2. §. item emptio 2. ff. de rer. permut. Verbales sunt, quibus quis se daturum facturumque quid interroganti congruenter promittit. Literalis, qui est jure Justiniano, ubi quis spe futuræ numerationis dato chirographo confitetur, se accepisse, quod tamen re vera nondum accepit. Consensuales, qui solo consensu perficiuntur & constant. Quamvis autem & cæteræ conventiones consensum requirant, ut qui communis omnibus contractibus. L. *hujus edicti* 1. §. Con.*

Conventionis verbum 3. ff. de pact. In illis tamen inter-
venire debent, vel res, vel verba, vel literæ. Hic verò ad
obligationem producendam consensus solus sufficit.
Conf. Vin. ad rubr. Inst. de oblig. ex consens.

§. VI.

Inter hosce Contractus, qui consensu perficiuntur,
eminet, principemq; facile obtinet locum Emptio Ven-
ditio, quæ est Contractus consensualis de re tradenda
Emptori, & pretio in pecunia numerata Venditori dan-
do prin. Inst. de empt. vend. Hæc originem traxit à permu-
tatione, teste Paulo L. origo, 1. ff. de contrab. empt. Cui
nempe tollendæ difficultatis, quæ illam comitabatur, &
indigentia humanæ sublevandæ ergò succedanea fuit,
uti hoc egregie docet Philosophus ipse 5. Eth 5. Vid. Dn.
Hahn. ad Wesenb. tit. de contrab. empt. n. 2. Vin. ad rubr.
Inst. de empt. vend. & alii passim.

De eorum pri-
maria specie
emptione
venditione
ejusq; origine.

§. VII.

Sicuti autem omnibus contractibus commune est
ac familiare, ut vel pure ineantur, vel certis adjectis pa-
ctis interdum alterentur, quæ vel diem, vel conditio-
nem induunt, ita hoc in Emptione & venditione præ-
primis frequens est, ut per additas conventionis Leges
alterari soleat.

Quod illa vel
pure ineatur,
vel certis etiam
adjectis pactis.

§. VIII.

Immutantur obligationum causæ tum in initio,
quando videlicet obligationes contrahuntur, tum ex in-
tervallo, si nimirum pacta post obligationes jam contra-
ctas super adminiculis interponuntur: tametsi hoc ca-
su, quando videlicet contractæ sunt obligationes, ex iisq;
jam nata vel inchoata est actio ista amplius privatorum
pactionibus infirmari nequeat, nec pactum ex interval-

Quænam pa-
cta adjecta dis-
cantur?



Quod alia in
continenti
contractibus,
alia ex inter-
vallo adjician-
tur, deq; diver-
so eorum effe-
ctu.

lo interpositum ex parte agentis contractui inesse vi-
deatur. *L. juris gentium. 7. §. qvin imò 5. ff. de pact.* Hinc li-
quet ea demum pacta contractui inesse, quæ in conti-
nenti adjiciuntur, seu, ut loquitur Ulpianus in dicta §. 5.
quæ in ingressu Contractus facta sunt, ante videlicet,
quàm is perfectus sit & absolutus. Sicut declarat Donel-
lus in *L. in bona fidei. 13. n. 10 seqq. Cod. de pact. per L. initio 5.
Cod. de pact. inter empt. & vend.* Nam pacta, quæ ex in-
tervallo adjecta sunt, contractui non insunt, ac proinde
actionem ex contractu descendente non informant,
quantumvis reo exceptionem pariant, v. g., emptor si
post emptionem jam contractam, & sic ex intervallo
cum venditore paciscitur, ut ob evictionem satisfaciat, sa-
tisfactionis hujus præstandæ nomine experiri non pot-
est, quoniam actio ex pacto non datur. dict. §. 5. Pacta
autem hæc contractibus in continenti adjecta, vel adj-
ciunt, hoc est, obligationem augent, ut plus ex pacto de-
beatur, quam per naturam contractus, aliàs deberetur,
vel detrahunt illis, ubi aliquid de actione & obligatione
auferunt, quo minus agi possit. Atque hæc adjectiones
vel detractiones contingunt modò in substantia, seu na-
tura interna Contractus, perquam intelligenda est ma-
teria ejus aut forma; modò in adminiculis, quæ sunt de
contractuum natura externa dict. *L. 7. §. 5. ff. de pact. L. na-
turalis 5. §. sed si 4. ff. de prescript. verb. L. Exempto. 11. §. &
in primis 1. ff. de act. empt. & vend.* sive ab essentia contra-
ctus fluunt propriæ scilicet contractuum affectiones,
quæ Dd. vocantur naturalia, nempe præstationes, quæ
in singulis fermè contractibus vel quasi naturaliter in-
sunt judicii potestate, uti loquitur dict. *L. 11. §. 1. de act.
empt. & vend.* Inter pacta autem quæ Emptioni Vendi-
tioni

tioni apponi solent eminet ferè illud rëtrovenditionis seu de retrovendendo; quo in elaborando si ob materiæ utilitatem, quæ imprimis sectanda *L. utilitatem 1. de exerc. act. l. hæc actio 1. ff. ad exhib. ingenii vires perscrutatus fuero, non male operam meam me collocaturum existimo. Quod dum meditor supplicibus Divinum Numen precibus in partes accerso, ut labori huic quali-quali clementer adesse velit.*

In specie de pacto retrovenditionis haud in frequenter emptioni venditioni adjici solito.

§. IX.

Vocabuli igitur hujus Etymon rimanti facillimo negotio illud sese offert, quod derivetur nempe à particula Retro, idem significante ac rursus *L. fructus 4. ff. de operis serv. l. si quis 67. ff. de solut. & vendere. Calvinus in Lexic. Jur. vocab. retro. In vernacula nostra dicitur Wiederkauff Besold. thesaur. pract. sub hoc vocab.*

Etymologia ejus.

§. X.

Varias porro hinc inde pactum hoc sortitur appellationes; dicitur enim pactum reluendi, redimendi, transcribendi, aliquando etiam retractus conventionalis, cum ex conventionem & pacto partium proficiscatur. Vid. Perez in Cod. ad tit. de pact. inter empt. & vend. n. 11. Speckhan. qv. jur. cent. 3. clas. 1. qv. 20. n. 3. Est autem Retrovenditio nihil aliud, quàm pactum emptionis venditionis contractui in continenti adjectum, ut pretiò quandocunq; & indefinite, vel intra certum tempus oblatò, emptor rem emptam venditori ejusq; hæredibus restituere teneatur *L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt. & vend. Conf. Magnif. Dn. Struv. Exerc. 23. tb. 25. Perez. alleg. loc. & num.*

Synonymia.

Definitio.

§. XI.

Ante omnia autem præmittendum & supponendum

Fundamentū ejus in jurē &c

Justitia natu-
rali.

dum est hoc paciscendi genus jure & æquitate naturali
munitum ac vallatum satis esse. Ex quo enim quisque
rei suæ moderator ac arbiter erat idoneus, atque non so-
lum re sua libere uti frui, prout jura permittunt *L. In re.
21. Cod. Mandati vel contra.* sed etiam de ea pro lubitu &
voluntate sua disponere poterat, libertate illa ab ipsa
Natura rei Domino concessa. *L. Nemo 9. Cod. de Judeis.*
hoc ipso disponendi modum pactorum vinculis quasi
determinare non prohibebatur. Hinc sicut quis potest
rem suam non vendere; ita venditionem potest limita-
re cæteris paribus, & apponere emptori onera, quæ vo-
luerit, dum tamen juxta æstimationem oneris appositi
descendat in pretio justo. *Cardin. de Lugo Disp. 26. sect. 13.
n. 185.* Deinde per se patet emptionem sine pacto hoc li-
citam esse, cumque hoc aliqua Lege non prohibitum, nec
alicui contrahentium sit injuriosum, aut præjudicium
afferat, licitè illud apponi omninò concludendum du-
co. Non enim præjudicat Venditori, quoniam in ejus
favorem adjectum est, eoque gravatur emens, ut vi illius
distrahere rem non possit interim, dum is, qui vendidit,
jus habet redimendi, teneaturque eidem illam vendere
quandocumque, juxta pacti scilicet adjecti tenorem, vo-
luerit eam redimere. Neque Emptori, quia is non so-
lum sciens & volens nullaque necessitate adductus in id
consentiit, sed etiam quoniam, cum gravamen illud pre-
tio sit æstimabile, pretium hoc in ejusmodi venditione
tantum statuitur, quantum prudentis arbitri gravamen
illud æstimatur, ut proinde in eumentem cum eo grava-
mine pro illo pretio nullum incommodum redundare
possit. *Molina de Just. & jur. tract. 2. Disp. 375.* Et vero
licitam esse Venditionem cum pacti hujus adjectione in
favo-

favorem Venditoris, communis Dd. Moralistarum scho-
la consentit, cum tale quid appareat etiam in venditio-
ne census redimibili, qui fere semper cum ejusmodi pa-
cto, saltem implicito, venditur, id quod ex dispositione
juris subintelligitur, quantumvis, juxta Canonistarum
sententiam, majus videatur sub esse periculum in hac
venditione census, ubi nempe non datur res alia fructi-
fera, sed solum jus ad solutiones pecuniarias annuas, De
Lugo *alleg. loc.* Sed de Emptione in gratiam emptoris
facta major videtur esse difficultas, verius tamen est,
non esse illicitam, modo justo pretio fiat. Ita tenat Co-
varruv. *lib. 3. variar. resolut. c. 9. n. 3.* Ratio hæc est, quia ju-
sto pretio compensari potest onus, quod venditor im-
ponit emptori, nempe tantundem detrahendo de pre-
tione: ita & onus quod emptor imponit Venditori com-
pensari potest, tantundem augendo pretium in prima
venditione Lesl. *de Just. & Jur. lib. 2. c. 21.* Cum igitur pa-
cti hujus justitia & æquitas adeò evidens sit, canonibus
etiam admissum fuit *cap. ad nostram 5. X. de empt. & vend.*
excepto tamen, si vel pretii vilitas, vel foenerandi con-
suetudo, vel alia varietas usurariam labem inferant.

§. XII.

Pactum autem hoc inire possunt omnes, qui na-
turâ, ætate & Legibus non prohibentur. Sciendum ita-
que natura prohiberi, quo minus id constituere possit,
furiosum, qui cum plane non intelligat, quid agat, nul-
lum negotium recte gerit §. *furiosus 8. Inst. de vinitil. sti-
pulat. l. obligationes 1. §. furiosum 12. ff. de Oblig. & Act.* un-
de etiam ob defectum consensus nec emptionem ven-
ditionem celebrare potest. per *L. Emptorem, 2. Cod. de
contrab. empt.* & plane voluntate destitui dicitur in *L. fu-
riose*

Personæ, quæ
hoc pactum
inire possunt,
de quibus re-
motive & pa-
sitive.

B

riose

riof 40. de R. l. nisi dilucita habeat intervalla & tempore intermissi furoris (utpote qvo qvoslibet contractus inire potest per dict. l. 2. Cod. & omnia, qvæ gerit rata sunt & valida, qvod colligere est ex §. Præterea 1. Inst. qvibus non est permis. fac. testam. l. qvi testamento 20. §. ne furiosus 4. ff. qvi testam. fac. poss.) id factum evincatur. Huic accensendus est mente captus, qvia & hic lumine intellectus destituitur, qvamvis à furioso differat l. si furiosi 25. Cod. de nupt. Item enormiter & extreme ebrii. Can. sane. caus. 15. qv. 1. Huc etiam referendum censeo mutum & surdum simul naturâ, qvippe qvi intellectu qvidem non caret, organo tamen intellectum repræsente destituitur, ideoq; qvæsi non sentire videtur, qvi autem non sentit, nec consentire, & per consequens nec contrahere, nec pacta inire valet. l. si tibi. 8. §. unius 2. de option. vel elect. Legat. Secus foret, si per sensum forte visus aliorum mentem percipere, suamqve vicissim voluntatem signis aliis exprimere possent arg. l. in qvibuscunq; 48. ff. de O & A. add. Dn. Struv. Exerc. 6. th. 36. Ætate prohibentur infans, utpote qvi ob intellectus defectum non multum à furioso differt. §. Pupillus 9. Inst. de inutil stipulat. impubes, qvi nec ipse ob ætatis immaturitatem iudicii- qve imbecillitatem, qvid facti aut juris sit scire l. Impubes. ult. ff. de jur. & fact. ignor. vel qvicqvam de cernere posse intelligatur. l. pupillus 9. ff. de acqvir. vel amitt. hered. præsertim cum suam conditionem hoc ipso facere possit deteriorem l. contra 28. ff. de pact. qvamvis Tutore autore omne negotium recte gerat. dict. §. 9. Inst. de inutil stip. Alia minorum ratio est, nisi Curatorem acceperint l. si curatorem 3. Cod. de in integr. restit. min. Lege contractuum pactorumq; celebratio interdicta censetur

tur prodigo, qui quidem talis à iudice declaratus, cuique bonis interdictum est. *L. Julianus 10. ff. de curat. fur. L. Is cui bonis 6. de V. O.*, ubi ut & in aliis quam plurimis textibus furioso æquiparatur; hinc & in *L. furiosi 40. de R. I.* ejusdem æque ac furiosi nulla voluntas esse dicitur. Elegans autem hujus comparationis ratio redditur in *L. bis, qui, 12. §. Divus 2. ff. de tut. & curat. dat.* quod quamvis ex sermone hic mentis suæ compos videatur, tamen ita bona sua tractet; ut, nisi illi succurratur aut in tempore prospiciatur, deducatur in egestatem, furiosumque, quod bona ipsius spectat, faciat exitum. Non ergo & hic absque consensu Curatoris, sed mediante potius curatore contractum vel pacta inire poterit. Ita ejusmodi quid nec Lege permisum videtur inter hos, quorum alter est in alterius potestate, ut inter Patrem & filium, Dominum & servum, cum inter hos prohibita sit emptio & venditio *L. Inter Patrem 2. ff. de contrab. empt. L. si venditor 14. §. sed & 3. ff. de in diem addict.* cujus ratio hæret in prin. *Inst. per quas person. nob. acquir. L. si filius 40. L. cum filius fam. 49. de V. O.* nisi quatenus id fit de bonis castrensibus vel quasi *dict. L. inter Patrem 2. pr.* cum in hisce filius familias habeatur pro Patrefamilias *L. usq. 2. de Scto Maced.* vel etiam de iis bonis, quorum ususfructus Patri non acquiritur. Vid. *L. cum non. ult. §. 5. vers. filiis autem familias. cod. de bonis quæ liberis.* Ex hisce igitur pleno quasi alveo fluit, pactum hoc inire posse omnes, qui intellectu & voluntate non carent, consentiendiq; ac paciscendi facultatem habent. Hinc non excluduntur cæci argum *L. Etiam 9. ff. de adopt. nec muti solum aut surdi L. Item 4. §. secundum 1. ff. de pact. L. in quibuscunq. 48. de O. & A.* modo mentem suam per signa & literas congrue possunt

posunt exprimere. *arg. L. discretis 10. Cod. qui testam. fac. poss.* Vid. Michalor *de surdis, cecis & mutis cap. 60. 61. in od.*

§. XIII.

Forma

Hujus itaque Pacti formalis ratio consistit in consensu partium, quia id nimirum egerunt, ut oblato vicissim pretio res restitueretur, & ad pristinum Dominum reverteretur. *Perez. cit. loc. Speckhan. cent. 3. class. 1. num. 3.*

§. XIV.

Effectus quod
que interea
Emptor sit Do-
minus rei.

Quo quidem posito dubium nullum est, quin per venditionem & traditionem, cui pactum hoc appositum est, dominium & possessio rei in emptorem transferatur, non verò fructuum percipiendorum commoditas tantum, cum hoc ipso pacto vestita venditio, pura omnino & absoluta sit, nec inepta adeo ex qua emptor nequeat fieri Dominus, existat. *Dn. Frantz. tract. de Laudemiis cap. 16. n. 28. seq. Tiraquell. de retract. convent. §. 1. gl. 1. n. 33.* Dum namque semel partes de pretio rei transferendæ conveniunt, causa jam, ex qua emptori competat dominium, traditione maximè secuta, sese statim exhibet, nec eam adjecta pactio immutare poterit, quippe quæ non tam substantiam contractus, quam id, quod extrinsecus circumstat eundem, respicit. Ideo si rem redimat venditor, non suam amplius, sed alienam nanciscatur, eum oportet. *L. qui 42. de R. l. propriam enim rem emi posse & Leges ignorant & dominii ratio non admittit, quia quod semel nostrum est, amplius nostrum fieri non posse, diserte traditur L. possideri. 3. §. ex contrario 5. ff. de acquir. vel amitt. poss. §. sic itaq. 14. Inst. de act.* Absurde siquidem reddi sibi fundum peteret redimens, cujus dominium translatum in emptorem nunquam esset.

eslet. Imò nihil aliud ipsa nominò natura evincit. Quid enim retrovendam ego, ubi nihil mihi traditum est? Non dare potest id, aliquis cuius Dominus nunquam fuit. §. 14. *Inst. de action.* Porro cum pactum hoc in contractu adjiciatur, ista tunc coherentia, quæ subest, id efficit, ut pactum pro parte contractus accessoria habeatur, & tantundem ferè, quantum ipse contractus possit, *L. Juris gentium 7. §. qvin imò 5. ff. de pact.* Nec si pretium redimens postea offerat, tam prior rescindi venditio (secus ac Gomezio visum est & asseclis ejus *tom. 2. resol. c. 2. n. 27.*) quàm alia de novo contracta proprie videtur. Magnif. Dn. Carpz *lib. 5. Resp. Elect. 30. n. 9. & seq.* Accedit quod venditor nullum jus reale habeat in re vendita, sed tantum jus personale, cum pactum nihil aliud sit, uti jam dictum, quam contractus, unde sicut ex contractu emptionis & venditionis nascitur actio duntaxat personalis *L. adversus 1. Cod. de act. empt.* ita & ex pacto, quod contractui huic inest, personalis tantum obligatio resultabit. Vid. *Zaf. lib. 1. cons. 12. fere per totum* ubi in hac quaestione maxime operosus *Mynsing. 6. obs. 70. num. 3.* *Treutl. Diss. 28. th. 10. lit. 4.* & *Bachov. ad eund.* Ea propter Emptoris tanta circa illam rem sese exerit potestas, ut non obstante pacto illam alienare intermedio tempore vel vendendo vel pignori supponendo possit. *Zoël. ad tit. de retract. convent. n. 23* quippe quod non officiat pactum, ne omnino non transeat in emptorem res, sed, ne irrevocabiliter ejus fiat, efficiat. Atque hæc adeo vera sunt, ut nec tertium, in quem alienata res est, convenire possit venditor. *Zoël. dict. tit. n. 13.* *Gail 2. obs. 16.* Sicut enim hoc pactum rem ipsam non afficit, ita nec possessorem rei sequitur, quànquam ne pactio hæc efficacia

B 3

lua

aliquis non in an
aliquis non in an
aliquis non in an

Quenam em-
ptoris circa il-
lam rem pote-
stas.

sua destituatur, actio ad id, quod sua interest, rem tertio traditam non fuisse venditori contra emptorem parata sit. *argum. L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt. & vend. B. Dn. Carpz. part. 2. const. 1. def. 16. qui tamen definit. seq.* hanc sententiam limitat in pacto verbis directis concepto: v. c. *si pretium intra quinq. annos reddidero, res sit inempta:* cui assero novissimè etiam subscribit Magnif. Dn. Brunneman, *ad L. 1 ff. de L. Commis. n. 5.*

§. XV.

Actio & qualis
ea sit non prae-
scriptis verbis
sed ex vendito.

Ut autem conventionis fides facta tecta habeatur, neque redempturus venditor eludatur ab emptore, certa illi à legibus prospectum sit actione, necessum est; quæ dubia admodum & controversa est, & propter quam in partes ire solent Dd, Circa duo autem potissimum hic collidunt; primum est, utrum ex hoc realis seu in rem scripta, an personalis actio nascatur. Illius sententiæ defensores hisce rationibus utuntur, quod illud rem afficiat, & utilem rei vindicationem producat, ut tenet Paulus de Castro in *L. si cum venderet 13. n. 5. ff. de pignor. act. per verba: aut vindicare rem poterit & textum in L. voluntate 10. §. creditor 1. ff. quibus modis pign. vel hypoth. solv.* unde colligunt, quod per pactum hoc dominium ipso jure in venditorum ex sola oblatione pretii absque nova traditione retro transferatur. Facit etiam huc *L. ea lege 3. Cod. de condict. ob causam & L. si creditor 7. §. fin. ff. de distract. pignor. & hypoth.* cui adstipulantur Socin. Senior *consil. 80. n. 1. vol. 3. Schurff cons. 40. cent. 2. Didacus Covarruv. variar. resolut lib 3. c. 8. per tot. & plures allegati Tiraquello de retract. convent. §. 1. gl. 7. n. 6. Gail 2. obs. 19.* Hujus Patroni, quæ magis etiam communis, fiudant se in textu expresso *L. si fundum 2. Cod. de pact. inter*

inter empt. & vend. L. Rebus 6. Cod. de rer. permut. L. si ste-
rilis 21. §. sed et si. ff. de act. empt. & vend. Cui & ego ac-
cedo, motu rationibus superius adductis §. preced. quod-
que pactum hoc sit pars contractus, ut proinde pars ab
ipso toto disfidere nequeat, ejusdemque sit naturæ con-
tractus resolutio, cujus est contractus L. ab emptore 58. ff.
de pact. Et verò si ab emptore res sit rursus vendita prior
venditor à secundo emptore rem non vindicat, sed datur
ei tantum actio personalis ex vendito adversus primum
emptorem in id, quod inter est, argum. L. Titius, fin. §. fin.
ff. de contrah. empt. L. quotiens 15. Cod. de rei vind. Treutl.
Disp. 28. tb. 10. lit. c. ibiq. Bachov. qui simul ad contraria Ca-
strensis argumenta, supra à nobis relata respondet. Alte-
rum est, utrum actio ex vendito an præscriptis verbis
competat. Ego ex vendito dari eam statuo, tum quod
Legibus firmissime cautum, ut alia ex pactis in continen-
ti contractui adjectis non competat actio, quam ea, quæ
ex ipso descendit contractu L. fundi partem 29. ff. de con-
trah. empt. L. tenetur 6. §. si vendidi 1. ff. de act. empt. L. ex
conventionem 11. Cod. de pact. tum quod accessorium seqva-
tur naturam sui principalis, ac pacta quasi pars sint ejus
contractus cui adjiciuntur, ut consequenter nec actio-
nem à toto diversam habere queant Frantz ad tit. ff. de
contrah. empt. n. 41. seq. Arum. Disp. 3. ad ff. tb. 10. sed verò
non levem scrupulum injicit. L. si fundum 2. Cod. de pact.
inter empt. & vend. ubi & præscriptis verbis agi posse, ex-
presse traditur. Si igitur competat præscriptis verbis
actio, necessum concedamus virtute pacti non contra-
ctus eam nasci, hætenus enim nova est. Magnif. Domi-
nus Strauch. Disp. 12. Just. tb. 11. At ex pacto non datur a-
ctio. Deinde illa actio tum competit, cum nulla actio
alia

alia super est. *L. Nonnunquam 1. L. nam cum 2. L. quoties. 21. ff. de prescript verb.* quid ergo in tanto iurium conflictu? Varii varias hic comminiscuntur conciliationes, quas videre licet apud Dominum Hahn. *ad Wesenb. tit. de rescind. vend. n. 6.* Bocer. *Disp. 11. ad 3. part. ff. eb. 72. lit. D.* Bronchorst. *cent. 1. enant. Assert. 27.* Borchh. *c. ult. de pact.* Perez. *alleg. loc. num. 14.* Ego in presentiarum illam amplector sententiam, ut dicam nempe, cum pactum de retrovendendo ad resolvendum contractum sese extendat, haud immerito dubitatum fuisse, an pars contractus esse, & actio ex hoc competens locum habere videretur. Frantzk. *ad dict. tit. n. 416.* Vinn. *de pact. c. 11. n. 6.* Zoël. *ad tit. de retract. convent. num. 4.* Quales actiones subsidia-
riae praescriptis verbis dicta plures habentur in *L. quia 11. ff. de presc. verb. L. Labioso. de contract. empt.* Itaque securius creditum olim fuit, utramque ex superfluo applicare venditori, ut, si vulgaris exque ipso contractu descendens deficiat, innominata saltem is experiri possit.

§. XVI.

Cui nam illa
detur?

Datur autem actio ista, quae ex hoc nascitur pacto non solum venditori, sed etiam ejus haeredi, quantumvis ejus facta non sit expressa mentio; cum de generali pactuum natura sit, ut transeant ad haeredem per *L. si pactum 9. ff. de probat. §. presump.* & distractus judicentur secundum naturam & substantiam contractuum, habeantque in se vim relativorum & contrariorum, uti notant Dd. in *L. de tutela 7. cod. de in integr. restit. min. L. ab emptione 58. ff. de pact.* Quemadmodum igitur contractus transeunt ad haeredes contrahentis; ita quoque distractus, quia contrariorum eadem est disciplina *argum. L. de jure 1. ff. de his, qui sunt sui vel alien. jur. Gail. lib. 2. obs. 2. num. 4.*

num. 4. & 5. Atque transitio hæc non in primo tantum, sed & secundo & ulteriori obtinet, quippe quod hæredis nomine omnes in infinitum contineantur *L. hæredis 65. de V. S.* Nonnunquam tamen pactum hoc venditorem tantum concernere potest, ita ut tunc personale sit, ejusque individuum minimè egrediatur, id quod ex particulis taxativis adjectis facilè colligitur, excipientique probandum venit *dict. l. 9. de probat. & præsumpt. Zoëf. ad tit. de retract. convent. n. 5. & 6. Tiraquell. de retract. convent. §. 1. gl. 6. n. 1. seq.* Deinde actio hæc seu jus redimendi ad extraneum cedendo transferri potest, quia hæc facultas moralis regulariter ad personam non est restricta, sed potius ut jus formatum & actio existit, adeoque perinde ut alia jura (quod liquet in hæreditate, vel actione vendita, & cedenda rei vindicatione *tot. tit. & L. si excepto ult. de hæred. vel. act. vend.*) per cessionem in alium rectè derivatur. Cum quod quis per se potest, possit etiam per alium *can. qui facit. 72. do R. J. in 6to Magnif. Dominus Struv. Exerc. 23. tb. 45.* Vid. ulter. *Tiraquell. de retract. lignar. §. 26. glos. 3. qui multas rationes coacervavit, & Fachin. lib. 2. controu. c. 11. qui contrariis satisfecit.*

§. XVII.

Dubium itaque nullum est, quin adversus Emptorem ejusque hæredem competat. *L. si ea lege 1. Cod. de pact. inter empt. & vend.* præsertim cum omnia pacta active & passive transeant ad hæredes etiam eorum non facta mentione *dict. l. 9. de probat. & præsumpt.* Idemque in omne jus defuncti, quod vel lucri vel oneris nomine

C

Contra quos, num contra hæredem, minorem & Ecclesiam?



mine habuit, succedant. *L. Nihil 24. de V. S.* Hac autem occasione quæritur, utrum minor 25. annis & Ecclesia ementes rem cum hoc pacto absque decreto Judicis, & aliis solennitatibus legitimis illo obligentur nec ne? Negativa fundata videri posset in eo, quod in alienatione rerum minoris & Ecclesiæ requiratur causa & decretum *tit. Cod. de prad. min. § X. de reb. Eccles. non alien.* quibus sine rerum translatio fieri nequeat. In quam rem adducunt *L. si pupillorum 7. §. Item. fin. cum LL. seqq. de reb. eor. qui sub tutel. § cap. verum X. de foro compet.* Nonnulli quoad minorem mediam viam eligunt, & tunc demum eum hujusmodi pacto adstringi contendunt, si non ipse, sed tutores vel curatores ejus contrahant. Ego quoad utrosque affirmativæ in hære sententiæ non dubito *argum. L. si probare 1. Cod. quando decret. non est opus.* Et verò frustra objicitur defectus decreti vel alius solennitatis, quæ non est opus, cum retrovenditio hæc virtute pacti in contractûs initio statim adjecti omnino sit necessaria. Imò hæc tum requiritur, quando minor vel Ecclesia circumveniri posset, quippe quibus deceptis tantum Leges subveniunt. *L. Verum 11. §. sciendum 3. ff. de minor. 25. ann. L. quod si 24. §. non semper 1. eod.* Cum verò nulla hic subsit deceptio non subvenitur illis, sed per consequens obligari eisdem certum est. Res namque transit ad minorem & Ecclesiam cum suo onere, pactumque hoc est pars contractus, & ad executionem primi contractus hoc est, emptionis factæ pertinet, ideoque vel totus à minore & Ecclesia approbandus, vel totus improbandus *argument. L. cum quæritur 16. ff. de Administ. vel peric. tut. § curat.* Quoad Ecclesiam
siam

fiam etiam pactum illud expresse approbatur jure cano-
nico si usura absit *cap. ad nostram X. de empt. & vend. cap.*
illo vos X. de pignor. Cujus jure minor omnino censen-
dus. Neque negotium facit *L. si ad resolvendam 7. cod.*
de pred. & aliis reb. min. quia secundum communem
Dd. opinionem agit de pacto appposito ex intervallo, qua-
le hoc nostrum non est: in illo autem cum res liberè in
Dominium minoris & Ecclesiæ semel transierit, vel eis
libere sit jus quæsitum ad eam, non potest alienari sine
decreto, nec per ejusmodi pacta jus quæsitum diminui
alleg. LL. Vid. Zoëf. alleg. loc. n. 8. & Fachin. contro. lib. 2.
c. 3. qui contrarium tenet.

§. XVIII.

Porro actionem hanc olim coram Ædilibus sæpe
institutam credere possum, ad quos maximè spectabat,
ut bonæ fidei contractus implerentur. Hi enim cum
non modò Ludorum, ædium & viarum, sed etiam an-
nonæ *Cic. lib. 3. de LL.* & propter annonam contractuum
curam gererent, edictum suum de redhibitione & quan-
ti minoris actione proponebant, quo potissimum Ven-
ditorum fraudibus ac fallaciis occurrebatur, & damnis
emptorum succurrebatur *L. Labeo 1. §. ajunt. 1. de edit.*
edict. ne morbosum mancipium aut vitiosum pro sano,
aut malam mercem pro bona emerent, & ubi usui, ad
quem talia emebant, non apta videbantur, rem redhi-
bere possent. Quod Edictum in jure Romano pecu-
liarem exinde titulum constituere, satis superque no-
tum est. Ut plurimum tamen coram Pratore, de hoc
pacto disceptatum arguunt ea, quæ de actione empti
vendi-

Quisnam in eo
iudex compe-
tens olim, &
hodie?

venditi hinc competente diximus §. 15. Illa enim forum Prætoris perstrepuisse dubio caret. Hodie magistratus loci, ubi Domicilium habet Reus est competens Judex, juxta regulam, quod Actor forum Rei sequatur. *L. Juris ordinem 2. Cod. de Jurisdic. omn. jud.* Itemque loci, in quo contraxit, si ibi reperiatur, Vid. *Carpz. Proces. Jur. Saxon. tit. 3. art. 2.*

§. XIX.

Ut competat
requiritur ob-
latio, quæ se-
cundum con-
tractus teno-
rem instituen-
da, quoad tem-
pus nempe de-
terminatum.

Jam quid redemptori præstandum incumbat, considerem, necessum est, de quo constat non nisi pretio oblato rem adipisci eum posse *L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt. & vend.* Pacti namque semel initi ratio id efflagitat, ut sicut ad pretium exsolvendum emptor adstrictus erat; ita vicissim ad idem præstandum venditor sit obligatus, quique petit contractum impleri, non debeat ex sua parte esse in defectu. Imò quod tunc emptoris locum occupet, nec adeo quem ille contractum implevit juste impugnare possit. Neque tamen hoc ipso, quod pretii oblatio fieri debet præcise solennis requiritur offerendi modus, cum satis redimens fecisse contractui putetur, quantumvis nec consignandi nec deponendi scrupulositas subsequatur. *alleg. L. 2. Cod. sola enim realis oblatio sufficet, eaque facta purificabitur hujus pacti conditio, quæ est, ut pretium offeratur. Perez. ad tit. de pact. inter empt. & vend. n. 16.* Non obstat *L. si à Te 7. Cod. de pact. inter empt. & vend.* cui satisfacit *Perez. alleg. loc.* Intra quod tempus autem fieri illa debeat, distingvendum, num convenerint ita, ut quando-
cunq; liceat redimere, vel certo tempore dict, sæpius
L. 2.

L.2 *Cod.* quod quidem adjicitur, vel ut terminus à quo, id est, post cujus lapsum demum venditor possit pretio oblato restitutionem rei vendita petere; vel ut terminus ad quem, id est, usque ad quem & intra quem jus illud retrovenditionis exerceri queat. Illo casu liberam offerendi facultatem habere Venditorem, quandocumque illi libuerit; hoc verò ad terminum praefixum illum esse adstrictum, facile patet. Vocabulum tamen *quandocumque*, ad XXX. annorum lapsum, qui actioni empti venditi fatalis est, restringunt Zoës. *de retract. convent. n.33.* & Perez. *ad dict. tit. Cod. num.22.* de quo plura dicentur *infra tb. ult.*

§. XX.

Quantum ad ipsum pretium attinet, distingvendum utrum certum statutum sit, nec ne, sed tantum simpliciter dictum, ut venditor possit redimere. Illo casu res non habet dubium: Hoc verò, num cogitatum sit de pretio venditionis, an de justo pretio, an denique de pretio, quod ab alio reperiri poterit, multivariam disquirunt ac circumstantiis distingvunt. Vid. Tiraqvell. *de retract. convent. §.1. gl.3. n.2.* Illud tamen solvendum, quo res tempore retrovenditionis justè venire potest, nisi aliud habeat loci consuetudo, quam partes respexisse videantur, uti sentiunt Zoës. *loc. sepius alleg. n.18.* Perez. *cit. loc. n.16.* & ab illis citati. Hinc quidam concludunt, contractum retrovenditionis majori pretio factum, quam prima venditio, esse illicitum, cum tunc non esset æqualis conditio utriusque contrahentium, sique pretium datum pro re in prima emptione fuit justum, ma-

Qvale pretium offerendum. §

ius quod in pactum redemptionis ejusdem rei deducitur foret injustum. Vid. Molina *tract. 2. Disp. 376. n. 2.* qui tamen contrariam sententiam positis certis circumstantiis admittit,

§. XXI.

Quod totum
sit offerendum
ferè regulariter.

Et verò offerendum illud est totum, quia particularis solutio pretii invito obrudi nequit *L. plane 3. famil. Ercis. L. Tutor. 41. §. Lucius 1. ff. de usur.* Præterea si cum pacto hoc bona venduntur emphyteutica debetur Laudemium Domino consentienti, quia ejusmodi venditio pura est, atque perfecta, non conditionalis. B. Dn. Carpz. *Jurisprud. for. pact. 2. const. 1. Def. 23.* Sed quæstionis est, utrum is, qui partem pretii solvit, intra tempus constitutum, residuum verò paratus est solvere post tempus elapsum, audiendus sit & admittendus, nec ne? De qua vid. Fachin. *lib. 2. c. 4.* ubi alii admittendum eum affirmant, alii negant. Alii distinguunt, ut si post modicum temporis elapsi intervallum & sine damno & interesse emptoris venditor residuum offerat audiendus sit & admittendus; Secus verò si post longum temporis elapsi intervallum, & non sine incommodo emptoris residuum offeratur, quam ultimam sententiam, ut verriorem cum Fachin. qui ad contraria etiam respondet, nostram jam facimus, moti *L. sita 135. §. Seja 2. ff. de V. O.* Porro nec is, qui ex pluribus venditoribus parte tantum pretii oblata redimere vult, audiendus est, cum & emptio una sit, quæ se pro parte dissolvi non patitur, & partis distractio sæpe vergat in damnum ementis. Quod si tamen unus venditorum integrum pretium offerat,

rat, nulla causa est, cur rem cedere recuset emptor, ut-
pote qui integrum pretium sibi solvi tantum desiderat,
quo undecunqve recepto extra omne damni periculum
constitutus erit. Zoës. alleg. loc. n. 16. 17. Idem tamen em-
ptor sibi melius consulat, si, ut caveat redimens de retro-
vendendo partem socio, probe curaverit, quoniam hac
ratione & socium a se retracturum partem, eo securius
repellere poterit. Dn. Carpz. dict. loc. def. n. n. 4.

§. XXII.

Facta hac oblatione pretii venditor consequitur,
ut res sibi retrovendatur juxta primi contractus conven-
tionem, quam emptor probe observare in omnibus ca-
pitulis tenetur *L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt. &
vend.* Sed disquiritur tunc de modo recursus, utrum i-
pso jure an facto hominis novaq; traditione Dominium
ad venditorem revertatur. Multi illud volunt, uti vi-
dere est apud Zoës. dict. saepe loc. num. 19. Hoc verò ipsa
retrovendendi vox comprobatur Perez ad dict. tit. num. 18.
Cum enim omnis venditio facto contrahentium in actu
secundo perficiatur, idem in hac retrovendendi conven-
tione concurrat, oportet, quippe quia non tam hoc agi-
tur, ut prior resolvatur, quam nova quaedam ineatur ven-
ditio. Jam tradendo rem venditor emptori attribuit
Dominium. Igitur idem emptor retrotradendo Do-
minium faciat venditorem necesse est. Huc etiam facit,
quod actio tantum personalis ex hoc pacto nostro ven-
ditori contra emptorem parata sit *L. si fundum 2. Cod. de
pact. inter empt. & vend.* Id quod haud obscure arguit,
ipso jure ad primum venditorem non rediisse Domini-

Oblationis ef-
fectus, & num
ipso jure rede-
at Dominium

um

um, cum tunc potius rei vindicatio illud concomitaretur actione personali exclusa. Num verò rei Domini-um ad venditorem revertatur ita, ut à quolibet tertio de- tentore eam vindicare possit, quod juxta posita hactenus fundamenta negandum erit. Vid. Tiraqvell. *tract. de retract. convent. §. 1. gl. 7. num. 6. & 7. & §. 3. gl. unic. per tot. Fachin. lib. 2. controuv. c. 15. Treutl. vol. 1. Disp. 28. th. 10. lit. C.*

§. XXIII.

Effectus actio-
nis ex pacto
hoc descendē-
tis, & num
præcise res ab
emptore resti-
tuenda?

Tantum autem pretii oblatio ritè peracta opera- tur, ut si rem tradere possit, retrovendere præcise tenea- tur emptor, nec interesse præstando liberetur *L. si ita 25. §. qui vendidit. 1. ff. de contrab. empt. L. ex empto 11. §. & im- primis 2. L. servus 30. ff. de act. empt. & vend. L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt. & vend. Anton. Faber. 6. con- ject. 4. Cum semper conditio, si pretium restituerit redi- mens, includi hic intelligatur. Hoc igitur oblatio illa re- tractiva emptio purificatur omninò, & quasi pure con- tracta esset vicissim emptorem ad rem tradendam ad- stringit, cum & conditio in venditoris favorem adjecta in odium ejus retorqveri non debeat. Frantzk. *Exerc. Just. 11. qv. 1. n. 42.* Imò ipsa mens contrahentium hoc comprobatur. Redimens namque dum pretium restituit, eo ipso rem antea venditam recuperare intendit, quam nisi spe hâc fretus nunquam in emptorem transtulisse præsumitur. Ut adeo adjuvanda potius contrahentium voluntas, quam contraria & odiosa interpretatione e- vertenda sit. Inde etiam sequitur vacuum rei possessio- nem esse tradendam *L. si in emptione 2. §. Vacua 1. ff. de act.**



act. empt. & vend. L. cum manu penult. §. fin. ff. de contract. empt. L. habere 188. de V. S. & ibi Gœddeus. cum ad illam teneri venditorem etsi se non adstrinxerit, verius sit L. ratio 3. §. si inter 2. ff. de act. empt. & vend. L. si pater 8. Cod. eod. L. cum res 12. Cod. de Probat. Weseub. paratit. ad tit. de empt. vend. Mynsing 1. obs. 53. Num verò rei interitu plane liberetur emptor vide Jason, in L. quod te mihi 5. ff. de reb. cred. num. 12. ubi distingvit, si res sine dolo & culpa Emptoris perierit, eum liberari; si minus ad pretii supplementum teneri.

§. XXIV.

Non videtur autem rem venditor reluisse nisi simul emptori omnes impensas & meliorationes restituerit. Matthias Colerus *conf. 29. n. 61.* Cum jure naturæ æquum sit, neminem cum alterius detrimento & injuria fieri locupletiores *L. Nam hoc 14. ff. de condict. indeb. L. jure natura 206. de R. I.* Atque hic argumentum commode deduci potest de minore recuperare prædium per Curatores venditum, volente in *L. Intra 39 §. vendentibus 1. ff. de minor. & de possessore prædii, qui id habuit à non Domino in L. Emptor. 65. ff. de reivind.* qui impensas itidem bona fide factas probatasque secundum negotii cujusque convenientiam, prius refundere obligati sunt. Idque in hoc nostro pacto eo magis, quod dissoluto venditoris contractu uterque nil amplius consequi debeat, quam haberet, si venditio facta non fuisset. *L. cum autem 23. §. jubent 1. ff. de edilit. edict.* B. Dn. Carpzov. *Jurisprud. Rom. Sax. part. 2. const. 1. Def. 27.* Expresse siquidem definitum est, eum qui bona fide in re aliena, vel in re sua,

Quod meliorationes & impensas Venditor emptori teneatur restituere, & quales.

D

quæ

quæ ad alium deinde est transitura, quid fecerit ad utilitatem perpetuam, posse sumptus repetere. *L. quæ ratione 9. pr. ff. de acquir. rer. Dom. L. domus 58. ff. de Legat. 1. sumptus autem seu impensas triplicis esse generis notum satis est. Alias necessarias, quæ habent in se necessitatem impendendi L. Impensarum 1. & seqq. ff. de impens. in res dot. fact.* seu quibus non factis res imminuitur, aut peritura, vel deterior, quam ante fuit, futura est. *L. Impensæ 14. pr. L. quod dicitur. 15. dict. tit.* Utiles alias, quæ rem meliorem faciunt *d. L. Impensæ 14. §. utiles 1. & L. Impensæ 79. §. utiles de V. S.* Alias denique voluptuarias, quæ speciem duntaxat ornant, non etiam fructum augment. *dict. L. 79. §. fin. de V. S.* Hinc secundum harum naturam non aliter concludendum, quam necessarias tantum & utiles deducere Emptorem valere *L. Intra 39. §. Vendentibus 1. ff. de minor. 25. ann. L. plane 38. ff. de hered. petit.* de quibus ultimis tamen nonnulli Dd. addubitant, quod tantas nempe illas facere posset emptor, ut venditor rem retrahere non possit. Verum, ut fraudibus hisce obvietur, ita sententiam istam limitat *L. utilium 8. ff. de impens. in res dot. fact.* quod in specie facti ratione dotis ibi proposita tum demum deducendæ veniant, si voluntate mulieris facta sint; si secus factum fuerit, sufficit tollere permittat meliorationes retrahens. Vid. *L. in fundo 38. ff. de Reivind.* Sed de impensis hisce dicta hactenus intelligenda, quæ ad perpetuam rei sarturam & utilitatem pertinent; quæ enim ad fructuum collectionem erogata, cum fructibus compensantur *L. fructus 7. §. ult. ff. solut. matrim.* Tiraqvell. *de retract. convent. §. 7. gl. 10 num. 4.*

§. xxv. Por

Porro nec augmentum venditor redimens petere potest, nisi & ejus pretium solvat; siquidem omne incrementum, quod rei taliter venditæ, quocunque modo accessit, indifferenter emptor acquirat. §. cum autem 3. *Inst. de empt. vend. l. id quod 7. pr. de commod. & peric. rei vend.* quippe quod emptor perfecta emptione incommodum omne ex re vendita sentit. *L. Necessario 8. ff. dict. tit.* idem ergo ut sentiat emolumentum sæpe rarius obtingens, naturalis æquitas gravissime dicitur. *L. secundum 10. ff. de R. J.* Et verò palmarium assertionis hujus fundamentum in eo potissimum est, quod emptor plenum Dominium consecutus sit, cujus translationem pactum hoc non impedire supra deductum, cum nec pactum commissorium hoc impediatur, licet potestate sua contractum dissolvat. *L. Lege 5. l. mulier ult. ff. de L. Commis.* Conf. Gail. *de pignor. obs. 17.* Mynsing. *6. obs. 70.* Tiracvell. *de retract. convent. §. fin. gl. 2. num. 92. cum 4. seqq.* Magnif. Dominus Struv. *Exerc. 23. thes. 46.* B. Dominus Carpz. *part 2. const. 31. def. 18.* De alluvionis incremento specialiter dissentit Zoëf. *ad tit. de retract. convent. num. 28.* sed quia Domini virtus pro emptore perpetuo militat, cum Fachin. *lib. 2. cap. 6. & Telsaur. decis. 140.* pro emptore standum duco, non attenda quoque distinctione quorundam, num fundus simpliciter venditus sit, an vero certa mensuratione seu dinumeratione jugerum facta, quo contrarias hasce opiniones conciliare illi conati fuerunt. Quid de Thesauro tenendum, qui medio tempore retrovenditione pendente ab emptore in fundo inventus, ad emptorem ne, an ad venditorem, an

De Incrementis, alluvionis & thesauri comprimis.

D 2

ad

ad utrumque pertineat, remitto laborem ad Tiraqvell.
de retract. condent. §. 7. glos. 2. num. 97. & emptori ad-
judicamus.

§. XXVI.

Num Emptor
de deteriora-
tione teneatur?

Jam de deterioratione dicenda quædam; ac vide-
tur initio pronuntiandum, ex hujus causa emptorem
conveniri haud posse, quia manifestum est, Domino de-
teriorationem rei propriæ imputari non posse, quantum-
vis illa deterioratio dolo vel culpa ejus contigerit *ar-*
gum. L. In re 21. Cod. mandat. l. etiam 18. §. licet. 1. solut. ma-
rim. Hoc igitur omne hætenus bene sese habet, sed
procedit saltem in iis rebus, quæ jure Domini ad aliquem
irrevocabiliter pertinent, nec restitutioni subjacent. Ti-
raqvell. *de retract. liguag. §. 36. gl. 3. num. 68.* Cum verò
res pacto hoc nostro qualificata, cujus conditionis etiam
feudum est, in emptorem non irrevocabiliter transierit,
utiqve ille de deterioratione, quæ dolo ejus vel culpa e-
merfit, tenebitur *L. si modo 59. de legat. 1. L. In rebus. 17. ff.*
de jur. dot. Dominus Carpz. part. 3. constit. 31. Def. 8.

§. XXVII.

Quid de fru-
ctibus haben-
dum?

Cæterum secuto licet retractu emptor sine dubio
fructus ante retractum perceptos lucratur, cum in hoc
nostro pacto non ipso jure Dominium ad Venditorem
redeat, ut in illo additionis in diem & *L. Commisoria L.*
Item 6. L. Imperator 16. ff. de in diem addict. L. Lege 5. ff. de
L. Commisf. sed ex partium conventionione resolvatur con-
tractus. Quemadmodum igitur bonæ fidei possessor;
ita & emptor dum res non redimitur, est illius Domi-
nus, & consequenter fructus ex re sua perceptos suos
facit



facit *L. Herennius 42. ff. de usur. & argum. L. Julianus 13. §. si fructibus 10. ff. de act. empt. & vend.* Maximè cum ille tantum probabili; hic verò in ipsa veritate posito Dominio munitus sit. Sed aliud de fructibus interea dum res redimitur provenientes, pronunciandum est, ut ad venditorem sc. pertineant, *L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt. & vend.* quos tamen ut plenissime acquirat ultra pretii oblationem debitorem in mora per interpellationem factam, constituat, oportet. Tunc enim ab illius moræ tempore, quos emptor compensare prius poterat fructus, magis secure lucrabitur. *L. Initio 5. Cod. de pact. inter empt. & vend.* Sola namque pretii ablatio ad moram inducendam sufficiens semper non est, quippe quæ conditionem tantum purificat, sed talis interpellatio, quæ in mora constituat, necessariò requiritur. *L. Mora 32. pr. ff. de usur.* Ast de pendentibus tempore retractus altioris indaginis disquisitio sese nunc offert. Atque communis opinio, quæ in æquitate fundari sibi videtur, est, eos inter emptorem & retrahentem prorata anni ultimi esse dividendos. *argum. L. fructus. 7. §. Papinianus 1. solut. matrim.* Magnif. Dominus Struv. *Exerc. 23. tb. 46.* Dominus Hahn *ad Wesenb. de rescind. vend. n. 6.* Reinking. *de retract. qu. 5. n. 72. & 76.* Covarruv. *par. resol. lib. 1. c. 15. n. 6. & 7.* Fachin. *lib. 2. controv. c. 14.* Dicunt enim assertio- nem illam, quod fundo nempe distracto pendentibus una fructus distracti reputentur tantum locum habere tunc, ubi de novo res venditur, quia ibi simul ad fructus tunc temporis pendentibus respexisse, iisque pretium æquipo- lens dixisse contrahentes, putandum. At verò supposito, propter pactum semel initum obligatum esse empto-

Quid depen-
dentibus in
specie ?

rem pretium tempore contractus definitum recipere, ut maxime etiam fructibus illis pendentibus non proportionatum postea deprehendatur: Summa tamen videtur committi iniquitas, ut & fructibus illis pendentibus emptor defraudetur, & cum detrimento ejusdem, contra principia à justitia particulari deducta, locupletetur Venditor. Conf. Hahn. *ad Wesenb. tit. de rescind. vend. n. 3.* Alii subtiliores verò strictam juris rationem secuti, redimenti eos in totum transcribunt. Eà ratione nixi, quod conditio, *si Pretium obtuleris*, sub qua retrovenditio debet celebrari, oblatione postmodum facta purificetur, atque ita habeatur, ac si venditio à principio pure contracta fuisset. Atque hinc ut perfecta emptione fructus emptori cedunt, ita pendentibus etiam redimenti, qui purificata conditione in emptoris locum succedit, debebuntur. Hoc tamen temporamentum effugiendæ iniquitatis gratia adjungunt, ut impensas pro fundi cultura eò anno factâ, consequatur emptor. L. *quod si 37. ff. de hered. pet.* quia fructus non intelliguntur, nisi deductis impensis L. *fructus 7. solut. matrim.* Conf. Tiraquella *de retract. convent. §. 5. gl. 4. n. 6. seqq.* Zoëli. *cit. loc. n. 27.*

§. XXVIII.

Extinctio actionis per restitutionem rei sub hoc pacto emptæ, juxta ac per lapsum temporis.

Ex hætenus igitur dictis collectu facile est, oblatione pretii, ac rei rite facta restitutione actionem ex pacto præsentem natam, omnimodo exspirare. Item temporis lapsu, si certum nempe tempus adjectum sit, cum ad tempus concessa elapso illo videatur negata retrovenditio L. *Thais 41. §. Lucius 1. ff. de fideicommiss. liber. ac negligentia suæ imputare habeat venditor, quod retractationis*


tionis tempus cautius non observavit. Verum enim
verò, si certum temporis spatium non præfixum, sed
simpliciter ita conventum fuerit, ut quodocunq; sem-
per, toties quoties libuerit, liceat venditori retrahere,
magna & operosa contentione frontibusq; adversis
disquirunt Dd., utrum præscriptio locum habeat, qui-
busq; annorum terminis coangustanda illa veniat? Sen-
tentia negantis Patroni, qui numero etiam affirmanti-
bus prævalere videntur, potissimis hisce utuntur argu-
mentis, quæ florum instar ex latissimo campo tantum
decerpere lubet. 1. quod Emptor, qui revendere promi-
sit semper & quodocunq; in mala fide constitutus sit,
sua quippe promissionis & obligationis conscius, ut ad-
eo nullo unquam tempore præscribere valeat. *cap. ult. X.
de præscript. 2.* quia jus offerendi pretium ad rem vendi-
tam redimendam, videtur esse res meræ facultatis, ut-
pote in mero venditoris arbitrio positum, quas nullo
unquam tempore præscribi indubitatum *L. Viam 2. ff. de
via publ. 3.* quod in *L. si fundum 2. Cod. de pact. inter empt.
& vend.* dicatur Venditorem fundum recipere posse
quodocunq;ve, si ipse vel hæredes ejus pretium obtule-
rint, quæ verba utiq;ve designent temporis infinitatem.
L. si ita 55. ff. de fidejuss. Prolixius hac de re vid. *Gail. lib.
2. obs. 18.* *Mynsing. obs. 16. resp. 31. n. 12.* *Covarruv. var. resol.
lib. 1. c. 9. n. 2. & 5.* *Borchh. de usuris c. 6. n. 18.* *Zal. in §. actio-
num Inst. de act. num. 66.* Quos secutus etiam novissime
Dn. Hahn. *ad tit. de rescind. vend. n. 4.* Controversiam
hanc pro more suo in utramq;ve partem egregie venti-
lans. In affirmativam verò qui concedunt, quam ve-
riorem duco, omnem suam intentionem fundant in na-
tura

De eius præ-
scriptione, si
certum tem-
pus non adje-
ctum fuerit.

tura actionis personalis, cuius hanc nostram esse supra
latius deductum fuit, ut nempe XXX. annorum spatium
includenda, elapso illo omnino tolli debeat. Nec clau-
sulas istas, *semper, in perpetuum, quancumque*, morari se-
patiuntur, quippe quod illæ non importent perpetuita-
tatem nec extendendæ sint ultra terminos jure præscri-
ptos, qui sunt XXX. anni, quibus actiones personales uti-
litatis publicæ ergo circumseptæ, ne lites sint perpetuæ,
& possessores semper sint incerti de jure suo. Add. Ti-
raqvell. *de retract. convent. §. 1. gl. 2. n. 1. seqq.* Gail. & Myn-
sing. *dict. loc.* qui in praxi hoc etiam observari testantur.
Zoëf. *de retract. convent. num. 33.* Perez. *ad tit. de pact.*
inter empt. & vend. n. 22. qui reliqua ad-
versariorum dubia eno-
dat.

SOLI DEO GLORIA.





Quam benè Virtutem sequeris, bone Gna-
te, Parentis,
Ille favet Titulis; nec dolet esse parem.
Proeedit juveni fama mensura paterna;
Dignius exemplum non aliunde petes.
Perge, nec imparili quondam gaudebis honore,
Cum tibi adhuc juveni gloria docta cadat.

In honorem & favorem Clariss. DN. BER-
RINGERI Consalini sui honoratissimi,
cum voto omni generæ prosperitatis hæc
apposuit

MICHAEL FRIDERICUS LEDERERUS,
U. J. D. P. P. & p. t. Academiae Rector.




BERRINGERE CL.

Quò minus detrectem, quod à me flagitas,
officium, cultus, quem Magnifico Tuo Pa-
renti debeo, & quam hætenus ille mihi vicissim
exhibuit, amicitia faciunt: in quo prestando
tamen brevior me esse varia, quæ ipse par-
E tim

tim nōsti, jubent. Quare de exercitio isthoc Aca-
demico verbis hisce paucis, affectu vero pro-
lixo Tibi gratulor; DEumq₃ precor, ut hone-
stis Tuis conatibus ex alto benedicat, felicesq₂
illis largiatur successus. Sed nec dubito, si mo-
rum elegantie, quæ in Te est, Themidos alia-
rumq₃ artium studia jungere perges, eum Te
aliquando fore, quem pia Parentum vota de-
siderant, Et boni omnes mecum exoptant.
B.V. Dab. è Museo a. d. 11. Octobr. 1671.

P R Æ S E S.



Ad

Virum Juvenem,

Clarissimum, Doctissimumq₃

DN. JOHANNEM DAVIDEM BERRINGERUM

Dresdensem,

Amicum meum singularem

Cum

DE JURE RELUENDI
disputaret.

Nisi fallor, Cicero, Latinorum Oratorum Aquila, hoc ære peren-
nium in eruditorum pectoribus condidit monumentum:

OPTIMI MORTALIUM ALTISSIMA CUPIUNT:

Quod è tripode dictum reor, cum qui à plebis naturâ di-
stant plurimum, ac per multos sudores sua celitus delapsa ingenia egre-
giis exornare donis, præmiis labori responsentibus digni extra con-

tro-

troversiam sint. Rem ita sese habere, ex iudicio Majestatum, Juris
 Prudentiâ Architectonicâ emicantium in Rebus Publicis, satis incla-
 rescit, utpote quæ pro dignitate, juxtaq; varietate meritorum, sum-
 ma, media, aliâq; Civibus suis distribuunt officia: unâ mecum sentient
 Illi Studiosi, amantissima mihi pectora, Qui Jus Romanum, ad instar
 dilectæ Amasie, ambabus manibus excipiunt, ac defixis intuentur o-
 culis: hinc enim palestra, honorum, gloriosæ famæ, præmiorum, &
 quas alias generosus animus percipit delicias. In his florum Roma-
 norum pratis hætenus expatiate, sed cum multis vigiliis & concatena-
 to labore, MI BERRINGERE, nunc initiamenta præmiorum nanci-
 sceris, dum ex hac à Te elaboratâ Disputatione rectè scientium fers
 puncta: siq; quod, utut ingratis, audio, (sed meum non est, optimo
 paterno consilio reluctari) in aliis Musarum Officinis ad justam matu-
 ritatem, studia rectè collocata perduxeris, brevi fiet, ut gratæ Themis
 capiti tuo meritam imponat coronam: quo audito, qui non sine capite,
 erit, ymore, vehementer gaudebo: & quidni? cum tunc expectatio mea
 me non deceperit. Proficiscere igitur, AMICE, celsæ militiæ custodite,
 atq; redi feliciter: interea DEUS de tibi convenienti Spartâ prospici-
 ciet, quam unâ cum aliis præmiis suo tempore habebis. Vale, & tui a-
 mantem redames velim. Scribeb. Wittenbergæ d. 5. Octobr. Anno 1671.

JOACHIMUS N E R G E R D. & Prof. Publ.



Vos collegisti fructus per quatuor annos,
 Quæis in agris iudas sedulus Aoniis:
 Hos tandem magnâ promissis cum laude. Cathedra
 Monstrat eos, & quæ verba diserta facis.
 Quare nunc toto grator Tibi corde, Tuisque
 In studiis deinceps prospera fata precor.

ευχαρίστων & χερίστων
 fac.

BALTHASAR SIDBERG/
 Prof. Publ.

Clas-



Clarissime
BERRINGERE,
Fautor amicissime,

DUm disputaturus in publicum me poscis Carmen, do quod habeo, non quod debeo & exigis. Sublimioris enim sensus numeros non expetunt tempora mea, nec tamen tralatitè canendum Tibi erat, BERRINGERE Clarissime. Quid ergo? Afferre votum idq; pium malo, quàm in laudes, ut quidem par erat, tuas prolixè digredi, ne dum & scholas nostras sectatus es, affectui indulgisse nimium videar. Precor itaq; a DEO & quæ me decet optare & illum ferre. Salus Tua erit, hoc est, ut specimen hoc arduum nec quotidiana industria elaboratum sit rudimentum Tibi honores consequendi, quos promeritus es, & Parens Tuus Magnificus Tibi conferrì gaudeat. Et verò jure ita optimo omitti licet. Nec enim tumultuariè iniuste studiorum rationem, processisti ordine, nec ante ad nostri adyta Juris proci isti gradum, quàm in politiori literatura eximia feceras spatia. Unde est, quòd in hæc delatus deinceps eò facilius proficere potueris, procul ab illorum opinione, dicam an bareli? quæ Juri operam daturi literas quas humaniores dicimus, insuper habent, quamvis non sine irrecuperabili damno sui. Summa namq; turbatur, ubi fundamentum labat: nec ager dumetis obsitus ac planè horridus cultura facile cedit. Tum verò Juris volumina evolovisti sedulo, nec Institutiones tantùm, sed Pandectas quoq; studiosè perlustrasti. Quoties privatim, quoties publicè opponentis functus es munere? Quanta diligentia ruminasti domi quæ audieras, nec minus promptè reddidisti examini? Idq; cum singulari modestia morumq; venustate, quæ vel sola cujusq; favorem ac Studium contrahere vales. Sicut namq; ex pulchro gratior corpore virtus venit; ita & eruditio. Quam obrem nullus dubito, fore, ut si pergas ceptum strenuè, in summum usq; enitaris culmen. Servet Te Deus! servetq; Nobilissimos Tibi Parentes Tuos, quibus tot per Te gaudia ex animo apprecor, quot capere humana felicitas potest. Dabam ex Museo meo die 6 Octobr. 1671.

Tuus omni affectu ac studio.

GODOFR. SERAUS. Philos. & J. U. D.

Cur. Elect. & Consist. Eccles. Witteb.


Advoc. Ordin.



Siccine pars nostri, Juvenis, suavissima Pindi,
 Dilectumq; caput nobis, sub sidera ferri,
 Et dare materiam famæ juvat; atq; Parentis
 Magni, non pavidò vestigia ducere gressu.
 Scilicet & decus & pulchrum est, ostendere mundo
 Ingenii sublimis opes, aususq; viriles
 prodere, justitiæ sacræ, magniq; laboris
 Conscia victuris monumenta intexere chartis.
 His animum succincte Bonis, his omnibus une
 Nominibus felix, sub pectore concipe veram
 Lætitiâ; certumq; bonis, ad culmen honoris,
 Auspiciis, iter; & calcem decurre serenam.

*Ita Amititia pactum, quod cum CLARISSIMO
 DN. AUTORE hætenus initum fuit, firmiter
 servare debuerunt, ut tamen abiturum Ejus,
 quem felicissimum precantur, potius redime-
 re vellent.*

COMMENSALIS LEDERERIANI


Dum, pia cura Patris magni, sacra pulpita scandis
 Nec non primitias exeris ingenii.
 Nisibus his insta: pergas feliciter istud!
 Præmia, crede, Tibi Patria nostra dabit.
 Applaudo genio docto, dum grandia tentas,
 Nec non Justitiæ digna sonare foro.
 Gratulor. En primum cape nomen amoris Amici,
 Quod risum dices, & mea verba, logos:
 Const. at amore simul, sed & ore fidelis Amicus,
 Moreq; Reg; simul, largior ista lubens.
 Cum lubet hinc in Reme tenta Tumes Amicum;
 Mos meus, os & amor concinit hisce Tibi.
 Non malus, at bonus est, dum tractat noster Amicus
 Præsido Magnifico Consulit acta boni.

Ita animum benevolum declarat

CHRISTIANUS ERMENEGDO NICOLAI,
 Dresdensis



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.

CHRISTIAN ...
Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page.




AB: 153595

X2617270

R

Vb 17





Q. D. B. P.
 DISSERTATIO JURIDICA,
 De
 PACTO
 RETROVENDITIONIS

Quam
 Magnifici Jctorum Witteberg. Ordinis
 consensu

PRÆSIDE
 VIRO

Nobilissimo, Consultissimo atq; Excellentissimo
 DN. WILHELMO LYSERO,
 J. U. D. & Antecessore in hac Academia celeberrimo,
 Curia Provincialis, Scabinatus & Facultatis Juridicæ Assesore

gravisimo,
Patrono ac studiorum suorum Promotore
etatem colendo.

Publicæ Eruditorum examini
 submittit,

JOHANN. DAVID BERRINGERUS,
 Dresdens.

In Auditorio Jctorum,
 Ad diem XI. Octobr. Anno M. DC. LXXI.

WITTEBERGÆ,
 Literis MICHAELIS METERB

43.

